



NOVA POSONIENSIA.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE V. AUGUSTI.



Constantinopoli, a. d.
12. Junii. Quod cer-
tus rebellis, Princeps
deCaudgar nuncupa-
tus, in montuosis Cau-
casi totum ferè Reg-
num Persiæ, adeoque

Regis ipsius Metropolin ac Sedem, pro-
fligato antè Persarum exercitu, sibi ro-
bore armorum submiserit, jam aliàs
Novellis insertum fuit & publicatum;
cui verò adjungi debuit, quòd Rex Per-
siæ quidem ad urbem certam sese rece-
perit, ast & in eadem à castris victori-
bus, quæ feruntur ex amplius 100000.
armatis consistere, qui barbarè sævien-
tes nemini concedunt vitæ gratiam,
circumfessus & obsessus teneatur; ut
proinde datis ad Sultanum litteris ejus
implorârit suppetias: qui verò Sulta-

nus desuper majus Consilium, vocant
Divanum, conscripsit, in quo conclu-
sum fuit, dictum rebellem litteris seriò
esse admonendum, ut sese Portæ subji-
ciat, simul comminando, quòd aliàs
vi armorum eò sit obligandus. Con-
stat etiam certorum litteris, permagnos
Astracanæ à Moschis belli apparatus fe-
stinari, quasi Persici turbis Imperii ve-
lint uti in rem suam piscantes in turbi-
do, ac ex parte Scaminaci ad mare Cas-
pium quid hostilis insultûs adoriri. Nu-
perimè Czari Moscorum Residens usus
est Vezirii majoris alloquio, super ma-
teriâ, uti creditur, confusum Persiæ
statum concernente.

Petropoli, a. d. 18. Junii. Czarea Maje-
stas Sua jussit pedestres aliquot legiones
per Mosco viam illico Astracanam pro-
gredi, ad augendum usque ad 50000.
bel.

bellatores exercitum, præter corpus militare penès Tobolskoam in Siberiâ; quali de expeditione grandius lucrum nobis promittimus, quòd sub fines Persiæ minor consistat barbarorum numerus, quàm ut Czareum majus robur possit à progressu coërcere.

Hamburgo, a. d. 7. Julii. Novissimis Hafniâ redditis edocemur, quòd Rex Daniæ suam classem bellicarum navium, in conspectu ejusdem civitatis quiescentem, spatio 4. hebdomadam omnino exarmari jusserit, præter 5. ad 6. liburnicas in statu & mari reservandas, ut percurrant fretum Daniæ, contra incertos Russorum motus exactè vigilantes. Pluribus à politicis ac naturæ locorum consciiis prævidetur ardua difficultas quæ Czaro Russiæ superanda veniet in coëpta expeditione ad fines Persiæ, ob 70. scilicet milliaria, quæ per deserta est transeundum priusquam ad patriam Tartarorum Surchaiam, Chodscham & Usbecam terrestri viâ penetrare valeat, à partium harum Tartaris vindictam petiturus, quòd multis vicibus peregrinationes Persarum adorti ac depredati sint, atque ita non sperendam cladem intulerint Russis commercium agentibus, qui jacturam inde contractam ad 5. rubelorum milliones computant. Absque eo mare Caspium frequentibus vadis locisque fabulosis est horridum ac impeditum, sicque magnis à navibus vix tranabile.

Parisis, a. d. 10. Julii. Si discursus publici de copiis hujus Coronæ intrà breve tempus notabili parte reformandis solido nitantur fundamento, de congressu pacis Cameraci absque morâ longiore inchoando vix jam ambigitur. Quibusdam ex Hispaniâ datis affirmatur, quòd classicula, in portu Gaditano instructa, sub Thalassi Antonii de Ser-

rano imperio in altum vela fecerit, cursum versùs Mediterraneum dirigendo. Regina Hispaniæ sex annulos frequente admodum pretioso adamante fulgidos expeditit Infanti Hispanicæ, Nostri Regis Neo-sponsæ, quos Proceribus Aulæ hujus ac Domicellis de se optimè meritis dono impertiet. De hujus Aulæ mandato aliquot copię sunt transmissæ in Piçtaviam, quòd Religionarii seu Hugonoti, ut vocant, denuo inconcessa conventicula in eadem provinciâ tentare cæperint. In S. Germani suburbio hospitia tam Anspacense, quàm Mutinense ad decorum adornantur pro Duce de Ossuna, paucis intrà hebdomadis Madrito hic affuturo. Hesternâ iterum Cartouchiani duo complices vivi rotâ torquebantur, duo ejusdem furfuris pœnas laquei expendebant. Princeps de Kurakin huc fertur Hagâ Comitissæ accessisse ad residendum penès hanc Aulam sub charactere Legati Moschoviæ in vices Principis Dolhorucki, hinc propediem reversuri Petropolin, qui præviè argentea rarâque alia xenia pro Czareâ Majestate hic curavit ex arte laborari. Marchio de Bonac fertur esse revocandus è Turciâ, cujus in Legati spartam succedet Minister alius post junioris Monarchæ unctionem.

Alia, a. d. 13. Julii. Duo Legati Reip. Venetæ extraordinarii de Tiepolo & Foscarini, jam tum in arce Versallensi Regiæ Majestatis Sux private admitti alloquio, familiam ad splendorem suam instruunt, proximè magnificum omnino ingressum hanc in Lutetiam suscepturi. Quæ decreta est ab hac Aula grandis copiarum reductio, in Septembrem proximum suspendenda creditur. Inter vinctos Cartouchiani furfuris consortes, ab octo ferè diebus huc deportatos numeratur juventutis homo prælustri familiae

miliæ (cujus parens in nobili civitate Normanniæ honorificum exercet officium) qui atrocium plusquam 20. latrociniorum reus agitur; insuperque puella junior, quæ de pluribus iisque gravibus nequitiis atque excessibus commissis suspectatur. Cursor extraordinarius, Madrito expeditus, ante biduum hæc Caletum transiit, Londinum accessurus.

Colonia, a. d. 17. Julii. DD. Metropolitanæ hujatis Ecclesiæ Deputati pro comitiis Electoralibus, Bonnæ jam absolutis, huc redierunt. Princeps de Kurakin Legatus Magnæ Russiæ Czari advenit Leodium, salubres aquas Spahenses aditurus in adjumentum sanitatis, velut ibidem loci suus olim Principalis. De 14. tã refertur ex Hollandiã, quasi Curia Madritensis intendat Carolum Infantem Regium adeo viã & vi armorum in Ducis Tusciæ successione intrudere, & quasi Gallia vigore secreti tractatus, inter utrasque Coronas erecti, molimen hujusmodi secundare obligetur; quod fidei lectoris discreti remittimus. Dux de Ossuna cum Serenissimã Coniuge jam tum Madrito viam cepit Parisios, gravioris momenti Commissa nactus Aulæ Galliæ perferenda: unde accepimus, quod profestivæ Unctiois Regiæ, Rhemis omnimodo cum splendore celebrandæ, solemniis oportuna constanti opere festinentur, neque Rex ante præmissum hujusmodi solemnem actum sit rediturus Lutetiam, cujus in Lonvrensis Palatio conclavia inferiora ad triennium sunt elocata.

E tractu inf. Albis a. d. 10. Julii. Compertum est Hafniã, quod Sophia Hedwigis Regio-Danica Principissa decumbat non sine discrimine; quod &

instructa classis Danica opere irremisso jam exarmetur, jamque omnes bellicæ naves, præter sex, fuerint exarmatæ, periculo insultus Russici prorsus disparente, dum procul vires Russicæ ad fines Persicos sunt elongatæ. Czarus Moschoviæ quidem ante transitum Astracanam Germanum quendam pro vicario Imperii Regente Statibus proposuit; ast ipsi quempiam nationis suæ votis elegerunt. Generales Thalassus de Apraxin & de Butterlin Astracanam modò attigerunt, omnia in bellum oportuna maturantes, ut Czarus sub adventum parata inveniat.

Londino, a. d. 10. Julii. Mercurii lapsã Minister Regio-Britannicus de Witworth Kensintonam sese contulit, ad Regiæ Majestati de successu Commissorum, quæ egit penes Aulam Prussiæ, referendum; qui Minister jam satis instructus proximè abitum parat Camera-cum ad congressum pacis, vel, uti præsumunt alii, rectã in antecessum Parisios. Hesternã in Consilio Kensintonæ servato resolutum fuit, parlamentum Coronæ hujus in 13. tiam Augusti esse prorogandum. Lunæ proximã, Rex suam lustrabit militiam in campo Honslovensi, sub papilione Ducis de Bolton sumpturus prandium. Quod Capitaneus Navalis Anglicus de Ogle tres piraticas barbarorum unã cum insigni prædã ceperit, per varias Barbadensi è portu huc appulsas naves confirmatur.

E Tractu infer. Rbeni a. d. 20. Julii. Status Juliæ ac Montium in civitate Dusselanã congressum hucusque continuant. Refertur Francofurto, Sabathi præteritã, Serenissimam Principis hereditarii Hasso-Darmstadiensis Coniugem partu masculi Principis auspicato esse

esse recreatam ; Principem verò Ratzevilium ad Aulam Electoralem Palatinam in urbe Schwetzingensi advenisse. Magnus Melitensis Magister Equestres Ordinis sui viros ad insulam hujus nominis fecit convocari, ad subdolis Turcarum motibus vigili oculo armisque obfistendum, si bellum insulæ movere per insultum præsumpserint ; cum etenim plures bellicæ naves Turcicæ discurrant freto, non Melitensis tantum insula, verum & Corona Neapolis Statusque Ecclesiæ motus hujusmodi moleste ast simul cautè apprehendunt. Nihil etiamnum de Czareæ Majestatis Suxæ progressibus ad fines Persiæ innotescit. Feruntur Officiales quidam militesque Cæsarei arcem Massam-Carream per stratagema occupasse.

Alia de eodem. De 17mâ labentis refertur Hagâ Comitibus, quòd ab Aulâ Galliæ cum iis Statibus quæratum neutralitas, idque palàm satis sit declaratum ; cum interea dictam per Aulam occultetur pactum secretius initum cum Aulâ Madritensi, quòd suspectum non nihil videtur tam Aulæ Viennensi, quàm Londinensi. Observatur Parisiis, quòd Dux Coronæ Regens Ducem de Maine omni prosequatur honoris officio, neque quid prætermittat oportuni ad sinceram cum eo amicitiam contestandum ; quem pariter Ducem de Maine Cardinalis de Bois & Dominus de Blancdomi ejus frequenter consalutant. Cum in Regno Galliæ versa sit in meliorum facies, de bello jam discursus conticescunt ; imò cum Minister Cæsareus Comes de Windischgrätz, & Comes

Anglicus cum plenariâ facultate Legatus Parisios convenerint, argumentum inde ducitur, mense Augusto ad congressum pacis Cameraci tandem esse procedendum. De 11mâ hujus Londino datis affirmatur, quòd in Regno Britannicæ vigeat inoffensa tranquillitas, neque ab Aulâ timeatur ulla seditio, ex quo majora in rem suam vota Procerum acquisivit ; fertur itidem in statu Parlamenti ex composito facienda quædam mutatio, ac certa ejus membra de fide suspecta sunt dimittenda.

Pofonii, a. d. 5. Augusti. Elapsâ Die Lunæ Eminentissimus Archi-Præsul noster Cardinalis Dux Saxonie &c. &c. circa 10mâ meridiam è valle Mariano, in optimo Sanitatis statu revertens, illico consultationes diætales, (quæ in copiosissimo, hucusque vix viso, numero Regni nostri Procerum, quàm solertissimè, singulis ferè diebus prosequuntur) ingressus est. Præteritâ die veneris, utpote in festo S. Ignatii Societatis JESU Fundatoris, in collegiali ejusdem Societatis Ecclesiâ ad S. Salvatorem, Excellentissimus ac Reverendissimus Comes D. Gabriel Erdödy, Episcopus Agriensis &c. sub concursu populosissimo pontificalia peregit ; quæ & 2da hujus, in festo nimirum Dedicatio- nis S. Mariæ Angelorum (Portiunculæ festum vulgò nuncupatur) sub præclarissimâ Musicâ, quam Eminentissimi S.R.E. Cardinalis è Comitibus Czaky &c. &c. Camerales Musici summo cum honore absolverunt, idem ipse Excellentissimus Episcopus summâ devotione peragebat.